

librum conscribantur collectanea de Legatis, in alium de Codicillis, &c. & cuilibet sumū detur, ut evolutis auctoribus ex iis nucleum conficiat in Pandectas referendum.

§. 90. Syntagma ipsum Juris Universi, seu *Pandectæ* fiant, ut dixi, ex Locis Communibus, eodem ordine, quo Elementa, Institutiones, Breviarium. Ponantur propositiones quantum fieri potest universales, & controversiæ casusque tantūm ii, qui sunt dubii. Addantur rationes demonstrativæ ex Elementis, & sicubi difficilis objectio est illa solvatur, leves omittantur. Si casus in Legibus decisus est, non allegetur alius autor, nisi ille rationem aliquam egregiam decisionis afferat, aut objecta diluat. De cætero in qualibet quæstione vel casu anotetur unus tantūm autor, qui primus eum attulit ac determinavit; addantur illi tantūm qui novas quasdam rationes de suo attulerunt, aut solverunt. Et Allegata quidem addantur  
mar-